

# The *Manipulus/Scotichronicon* Project (<http://web.wlu.ca/history/cnighman/Scotichronicon/index.html>)

## Presumptio t

Quem assimilare potero

Arterexerzes regi Medorum bellum Grecis indicenti, cui familiarium unus dicebat Grecos adventum inicii belli non expectaturos, sed ad primam adventus famam terga versuros. Alius dicebat Greciam non vinci, sed obrui mole exercitus. Alius dicebat timendum esse ne urbes vacuas et desertas invenirent, non habituras regem ubi tantas vires exercere possit. Alius dicebat vix illi naturam rerum sufficere, angusta esse classibus maria, militibus castra, explicandis copiis equestribus campestria, celum vix patere sagittis. Dum in hunc modum regem, nimia existimacione sui furentem, confutarent, dixit Demeratus,

cui Douglas potest esse assimilatus:

'Multitudo ista que tibi placet, tibi metuenda est; verum est enim permagna numquam posse regi, nec diu durare potest quod regi non potest. Nichil tam magnum quod perire non possit.' Sic contigit ut dixit Damaratus, nam Artexerzes ut fugax animal, pavido regressu, paucitate devictus, regnum proprium repetere est coactus.

*Scotichronicon*, 14.4 (Watt ed., vol.7. p.262, ll.7-22).  
[not recognized as a quotation]

(...“Bower’s source is the version of this story in Seneca, *De Beneficiis*; ...the substance of Bower’s summary here...appears to have been taken from Seneca direct.”: p.466, n.7-28)

Rex Medorum Artexes Grecis bellum indixit cui familiarium unus dicebat: Grecos aduentum nuncii belli non expectaturos sed ad primam aduentus famam terga uersuros.  
Alius dicebat: Greciam non uinci sed obrui mole exercitus.  
Alius: Timendum esse ne urbes uacuas et desertas inuenirent; non habiturum regem ubi tantas uires exercere possit. Alius dicebat: Vix illi naturam rerum sufficere; angusta esse classibus maria, militibus castra, explicandis copiis equestribus campestria, celum uix patere sagittis.  
Dum in hunc modum regem nimia existimacione sui furentem confutarent. Dixit Demaratus:

Multitudo ista que tibi placet, tibi metuenda est. Verum est enim per magna nunquam posse regi, nec diu durare potest quod regi non potest. Nichil tam magnum quod perire non possit. Sic contingit ut dixit Demaratus.

Nam ut fugax animal pauido regressu

regnum suum repetere est coactus.

Multi enim ignorauerunt uires suas et dum credunt se tam magnos sicut audiunt, attraxere superuacula bella et in discrimen peruentura.

Valerius Maximus libro I.

*Manipulus florum*, Presumptio t

→ Idcirco multi ignorauere uires suas et dum credunt se tam magnos quam audiunt, attraxere superuacula bella et in discrimen peruentura.

Exemplum adulantium blonde fallentium et ueri consiliatoris sit istud.

Medorum rex Xerxes grecis bellum indixit. Cui familiarium alius dicebat grecos nuntium belli non expectaturos sed ad primam aduentus famam terga uersuros;  
alius dicebat Gretiam non uinci sed obrui mole exercitus;  
alius timendum esse ne urbes desertas et uacuas inuenirent; non habiturum regem ubi tantas uires exercere posset; alius dicebat uix illi rerum naturam sufficere;  
angusta esse classibus maria, militibus castra, explicandis copiis equestribus campestria, uix patere celum sagittis.  
Dum in hunc modum regem nimia existimacione sui furentem concitarent, dixit Demaratus:

‘Multitudo ista, que tibi placet, tibi metuenda est. Verum est enim immoda numquam posse regi; nec diu durare potest quod regi non potest. Nichil tam magnum quod perire non possit’. Acciderunt que dixit Demaratus.

← Pseudo-Guillemus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*, I.A.1 (J. Holmberg ed., pp.9-10, ll.19-25, 1-10). [paraphrase of passages from Seneca, *De beneficiis*, 6.30.5-6 and 6.31.1-4 (F. Préchac ed., vol.2, pp.62-64). cf. [web.wlu.ca/history/cnighman/MFFontes/PresumptioT.pdf](http://web.wlu.ca/history/cnighman/MFFontes/PresumptioT.pdf)]

→ → nam qui mare classibus, terram pedestri <...> et fugax animal pauido regressu regnum suum repetere est coactus.

Valerius Maximus, *Facta et dicta memorabilia*, 1.6.ext.1 (J. Briscoe ed., p.51, ll.186-188).